



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### Natales Sanctorvm Belgii, & eorundem Chronica Recapitulatio

Molanus, Johannes

Dvaci, 1616

Die decima octaua Iunij.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9477**

hibuit: in qua ostensione multi sanitatem recuperarunt. Instituit etiam festum eius celebrandum Dominica die ante natiuitatem Præcursoris Domini. Est autem Forestum, *Vorst* ad Sennam opulentissimum sanctimonialium Ordinis sancti Benedicti monasterium, apud Bruxellam, diœcesis Mechliniensis, vbi historia exstat latinè manuscripta, & Teutonicè excusa. Ceterum Leoldus in regeneratione Haroldus dictus, rex fuit aut regulus vel princeps, in Dielbeca & circumiacenti regione. Vbi cum coniuge Hildegarde sic de virtute in virtutem ascendit, vt vterque in vita & post obitum mira sit operatus, humati in ecclesia Dielbecana, quam ad honorem beati Ambrosij construxerunt.

### Die decima octaua Iunij.

#### *De martyrio beatæ Mariæ dolorosæ.*

*Ex libris Rubecæ-vallensis monasterij, quod est in parochia Woluënsi.*

**I**N pago Brabantino, in parochia sancti Petri Woluënsis anniuersarius dies sanctæ Mariæ virginis, quæ dicta est dolorosa.

Hæc à Domino consecuta est triplicem coronam, voluntariæ paupertatis, castitatis, & martyrij. Cùm enim voto paupertatis voluntariæ & perpetuæ castitatis adornata, per annos multos panem suum laboriosè manducaret, contigit impudicum virum eam adamare: & cum castitatem suam quam Deo & beatæ Mariæ vouerat, pollui non sinit, is virginem de furto argentei scyphi falsò accusauit, & tantum egit apud villicum, vt innocenter sit terræ defossa, & sude transverberata, circa annum millesimum ducentimum nonagesimum. Quanti autem meriti sit apud Deum testantur miracula. Nam & ante mortem, pro visitaturis

memoriam

Iunij 20.

NATALIS

memoriam Deiparæ Virginis in loco suæ requiætionis, intercessit. Vnde & accusator, postquam septem annis dæmoniacus fuerat, in eo loco restitutus est per Deiparam Virginem, eiusque famulam beatam Mariam dolorosam. Quiescit sub altari Vuoluz, & locus ab ea vulgariter dicitur. *ter allendiger Marie*. Estque vetus confraternitas illius loci, quæ in antiquatâ scriptura dicitur; Confraternitas dilectæ nostræ Dominæ, in capella beatæ Mariæ dolorosæ.

## Vigesima Iunij.

### 1<sup>o</sup>. De sancto Baino episcopo Morinorum.

*Ex catalogo abbatum Fontanellæ, & aliunde.*

20. Martij  
& 22. Iulij  
apud Surin.

**I**N Fontanelleni cœnobio, natalis sancti BAINI, episcopi & confessoris Qui referendus est ad Belgij sanctos, eo quod Aquilonarium Flandrorum annis aliquot in Teruana Morinorum vrbe episcopus fuerit. Minus tamen apud nos notus & celebris est, quia Fontanellæ in Francia, vbi sancto Wandregisilo fundatori, quinto loco in regimine successit, sepulturam à se electam accepit. Estque iam olim à grauibus viris conscriptum, sanctum Bainum episcopum Teruanæ & Fontanellensis cœnobij abbatem transtulisse anno septingentesimo vigesimo nono sanctos Fontanellenes Wandregisilum, Ansbertum & Wilfrannum ita integros ab omni corruptione cum vestimentis, quasi eo die fuissent sepulturæ traditi.

2. De